

Kaspar Ebel Heinrich Hanneken


Dissertatio Physica De Generatione Et Corruptione Hominis

Marpurgi Hessorum: Typis Haeredum Casparis Chemlini, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746576722>

Druck Freier  Zugang





95

52^b.6.



Ja 1092 (95)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preceptiva Academia Genensie cum eo
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauourales Academia Ludunensis Patavoru.
4. Polyvardi. Walai. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommi.
7. Sinapij.
8. Ravi Panegyria Orientalib; linguis Trajecti dicitur. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu; liberi Arbitrii coll. loc. III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capiti; Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu; testib; in Terra. 1. s. 1. s. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
 25. D. Hamelkenig de Persona Christi. 1645.
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.
 27. ———. Pars II. ———
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Doctrina Amp. 1619.
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. s. conformitas.
 30. ———. De Apostolici nominis causis.
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vang. Doctrina.
 32. ———. De Catholicismo Vot. Vangelicae.
 33. ———. De Antiquitate Relig. Vangelicae.
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.
 35. ———. De Analogia seu proportione.
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.
 37. Tossani Theses contra Vangelicos. ibid. 1605.
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 449. Doctrina
 44. ———. ~~Compensationem pro peccatis~~ Doctrina
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificiorum in cultu Vrbani.
 46. ———. Stempfort. 1608.
 47. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum
 48. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum.

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in
pleno confesſu Ordinum Hollandiae et Westphaliae
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.
Graevae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.
2. 3.
3. 11.
4. 24.
5. 29.
6. 2.
7. 2.
8. 38.
9. 24.
10. 39.
11. 4.
12. 4.
13. 4.
14. 4.
15. 4.
16. 4.
17. 4.
18. 4.
19. 4.
20. 4.
21. 4.
22. 4.
23. 4.
24. 4.
25. 4.
26. 4.
27. 4.
28. 4.
29. 4.
30. 4.
31. 4.
32. 4.
33. 4.
34. 4.
35. 4.
36. 4.
37. 4.
38. 4.
39. 4.
40. 4.
41. 4.
42. 4.
43. 4.
44. 4.
45. 4.
46. 4.
47. 4.
48. 4.
49. 4.
50. 4.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
19	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

51.

48

DISSERTATIO PHYSICA

De

GENERATIONE ET CORRUPTIONE

HOMINIS,

Quam

CVM COROLLARIIS ALIQVOT MISCELLIS,
SACROSANCTA ASSISTENTE TRIADE,
PRAESIDE

Clarissimo Excellentissimo Viro,

DN. M. CASPARO
EBELIO,

LOGICES ET METAPHYSICES IN FAMILIARISSIMA CATTORUM ACADEMIA
PROFESSORE ORDINARIO,

Patrono ac Praeceptore suo summâ observantiâ
xvum devenerando,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
ac Privilegiis MAGISTERIALIBUS ritè
ac legitimè impetrandis,

Publicè omnibus & singulis Philosophiæ cultoribus
ventilandam proponit

HENRICUS HANNEKENIUS,
BUTIADA FRISIUS.

Ad diem VII. Februar. loco horiq; consuetis.

OS(C)SO


MARPURGI CATTORVM,

Typis HÆREDUM Casparis Chemlini. Anno 1646.

50.

49.

48.



ΘΕΟΥ ΣΥΝΕΡΧΟΜΕΝΟΥ!

THESIS PRIMA.

THALES Milesius septem sapientium Græciæ facile Princeps, aliquando quaesitus, quid omnium esset pulcherrimum? *Et. Mundus: Est enim, inquit, opus Dei, quo nihil pulchrius est, referente Erasmo lib. 7. apophyt. ex Laertio lib. 1.* Hinc olim veteres admirandam hujus mundi pulchritudinem contemplantibus varii varias de eo aluere opiniones. Quidam enim Mundum ingenitum & incorruptibilem, ac genus humanum ab æterno existisse nec habuisse ortus principium, sensere. Nonnulli genitum corruptibilemque arbitrati, & Homines dixerunt tempore generationis initium esse sortitos. Alii verò, imprimis *Græci*, ut *Euripides Tragicus Anaxagoræ Physici discipulus*, affirmarunt, Unam, ante initium omnium cæli & terræ, cunctis simul confusis, formam fuisse, postea disseparatis divisisque, molibus cepisse mundum ordinem hunc, quem videmus. Aërem hunc motu continuum & igneam partem, ejus superiora loca propter levitatem ajunt appetivisse. Quâ ex causa solem ac stellarum multitudinem volutione totius circumferri. Partem turbidam ac terrestrem unâ cum humidis ad infima loca ob gravitatem descendisse: Quæ cum mixta essent, ex humidis mare effectum, ex durioribus verò terram lutosam evasisse & omninò mollem. Hæc primùm cum solis ardore densior evasisset, in quibus putredines tenui contextæ pelliculâ sint excitatæ, erupisse tandem ab illa colluvie varias animantium formas, quorum ea, quæ majorem calorem sortita sunt, in superiorem regionem volatilia abierunt; sicciora & graviora, ser-

A 2

pentia

50.
49.

pentia & terrestria evaserunt animantia; Naturam a quodam nacta, in sui generis elementum delata: Terrâ deinceps tum solis ardore, tum ventis arefactâ, mutuâ sexuum commixtione perfectiora generantur. In cujus enarratione non duntaxat multos *Latinos & Græcos*, verum etiam plurimos *Chaldaeos & Hebræos* gnauiter desudasse, propria horum scripta passim testantur.

2. Verum relictis antiquis his erroribus, *Mosis* volumina totius naturæ secreta continentia, qui perlustrat, in aliam sententiam hâc in re abire cogitur: *Moses* siquidem *Propheta & Historiarum pater* Deo plenus, ac cœlesti dictante Spiritu totius *Magistro veritatis* excepit hæc omnia, nobisque conditorem & verum hujus mundi Fabricatorem, qui terram stabili firmitate suspendit, qui cœlum distinxit astris fulgentibus, qui Solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum unicæ suæ majestatis accendit, terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit: *Iussit & extendi campos, subsidere valles:*

Fronde legi sylvas, lapidosos surgere montes.

Quæ utique omnia non *Iupiter*, aut nescio quale *Ethnicorum fictitium Numen* fecit; sed ille opifex rerum mundi melioris origo, qui vocatur *Deus*, cujus principium non potest comprehendere, nec quærere debet, ostendit.

3. Quatuor verò mundos antiquitas figuravit: Supremum omnium ultra mundanum, quem *Theologi* Angelicum, *Philosophi* intellectualem vocant. Proximum huic cœlestem. Tertium sublunarem, hunc quem incolimus. Hic tenebrarum, ille lucis est mundus; Cœlum autem ex luce & tenebris est temperatum. Quartum ac postremum fecit illum, in quo ea omnia inveniuntur, quæ sunt in reliquis, & est ipse *Homo*. Tritum olim apud *Philosophos* fuit, *Hominem esse μικρόν κόσμον seu parvum mundum*, in quo mixtum ex elementis corpus, & cœlestis spiritus, & plantarum anima vegetalis, & brutorum sensus, & ratio & angelica mens, & ipsius Dei similitudo conspicitur.

4. Quàm mirabilis ac singularis ipse *Homo* sit creatura, exinde quoque constat, quòd summus creator *Deus T. O. M.* sine prævia consultatione, *Gen. 1. v. 26.* illum condere noluerit. Hoc autem

tem

5
tem factum non quasi indigus consilii aut dubius hæserit, quid fa-
cto opus esset? Absit: Contrarium enim asserit *Clarissimus ille gen-
tium Doctor Paulus in Epist. ad Rom. cap. II. v. 33. & seqq.* Fecit autem id,
ut creaturæ efformandæ præ cæteris præstantia indicaretur & au-
geretur. Quis enim tantæ cæcitatæ? quin videat, haud parùm
facere ad augendam hominis dignitatem, quod, cum Deus terram,
abyssum, expansum, lucem non nisi dicendo creasset, Terra her-
bas, aqua pisces jussu divino produxisset, ubi autem ad hominem
progreditur, ejus formationi, sine deliberatione manum admo-
vere noluerit.

5. In hujus nobilissimæ creaturæ indolem ulterius inquirere, deque eâ examen aliquod disputatorium publicum, pro *mo-
re Academico* instituere, non aded abs re esse persuademur, omnia enim rimari & speculari quæ sunt supra, circa & infra se, nec ta-
men se ipsum nosse, maxima foret dementia; hominem esse, &
quæ hominis sint, nescire, summa sanè stultitia. Propositum pro-
inde nobis est admirandam Hominis in generatione propagatio-
nem, ejusque obstupendam in morte corruptionem brevissimè &
quantum materiæ difficultas admittet, *Να Βεγαλιων* delineare in-
que arenam hanc producere.

6. Et quidem hîc quædam nobis præmittenda esse non la-
tet, scilicet de causis creationis hominis in specie, ut *efficiente*, quæ
est *Iehovah Elohim, Deus unus in essentia, trinus in personis*, attestante *scri-
pturâ, Gen. I. v. I. 26. Iob. IO. v. 9. IO. II. & alibi passim. Materiali*, pulve-
re nempe terræ, *Gen. 2. v. 7. Gen. 3. v. 19. I. Cor. 15. v. 47. 48. Formali*, ipse
hic est efformationis modus, qui à nobis certus assignari nequit,
quippe qui captum humanum longè excedit. Admirari enim li-
cet, quomodo Deus è merissimo pulvere pulcherrimam illam
corporis humani fabricam extruxerit, & quomodo corpus hu-
manum & tantæ pulchritudinis, & ad obeundum tot atque tantas
actiones aptum, & quod nec cæli injuriâ, nec temporis diurni-
tate ullâ, si non peccasset, noxam ullam sensisset, è mero pulvere
constari & constare potuerit. Hîc Dei omnipotentiam venerari
nos oportet, quippe quæ longè supra ea, quæ nos cogitatione no-
strâ comprehendere possumus, facere potest. Et tandem *finali*, in
quem

quem finem Deus hominem produxerit. Verùm hæc & alia non-nihil altius contemplari non est jam nostri instituti, sed potius *Theologi*, cui id etiam remittemus, ne extra forum philosophicum vagari, nostramq; falcem in alienam messem immittere videamur.

7. Est autem plerumque consuetudo à *Regibus* ac *Principibus* terræ usurpata, ut si fortè magnificam & nobilem civitatem condiderint, eâ jam absolutâ, imaginem suam in medio illius omnibus visendam spectandamque constituent. Haud aliter *Principem omnium* Deum fecisse videmus, qui totâ mundi machinâ constructâ, postremum omnium in medio illius imaginem suam, scilicet *Hominem* ad similitudinem suam formatum statuit. Vocavit autem *Hominem* in sua lingua *Adam*, à radice אָדָם rubuit, unde & *Hebraicum* אֲדָמָה Terra, forsan homo ita dictus, quod, ut aliqui volunt, rubra fuerit terra, ex qua Deus eum efformaverat. *Latinis* Homo quasi ab humo dicitur. *Græci* ipsum ἀνθρώπων, quasi ἀνω τῆ-
των ὀπίω sursum vertens vultum, dixerunt: Ad quod *Ovidius* in *Me-
tamorph.* alluisse videtur, canens:

*Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini (Deus) sublime dedit, cælumq; tueri,
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Unde *Cicero* 1. de leg. scribit: Cùm cæteras animantium naturas abjecisset ad partem, solum *Hominem* erexit, & ad cæli quasi cognationis domiciliūq; pristini conspectum excitavit. *Veteribus Philosophis* videtur dici, quasi ἀνω τῆτων ὀπίω, attentè considerans, quæ vidit. Aliis verò, quasi τῆ ἀνω τῆτων, id est, superiora seu cœlestia contemplans, ut notat *Pasor* in *lexic. Græc. Lat. Nov. Inst.*

8. Hoc itaque Nomine humana conditio gloriari potest, in primis autem, quod servire illi, nulla creata substantia de dignetur: Huic terra & elementa, huic bruta sunt præstò & famulantur: Huic militat cælum: Huic salutem procurant angelicæ mentes. Nec mirum alicui videri debet, amari illum ab omnibus, in quo omnia suum aliquid, imò se tota & sua omnia agnoscunt. Maxime verò notatu dignum, hinc nos in genere de homine dicentes utrumque sexum tam masculinum quam femininum intelligere, quippe qui

pe qui unius & ejusdem speciei, attestante *Aristotele*, qui foeminae marem imperfectum appellat *lib. 10. Met. c. 9.* Magnum ergo errant errorem, qui hominem in marem & foeminam ut genus in speciem dividere annuntur. Contradicunt enim huic divisioni exempla *hermaphroditorum*: Tum etiam eorum, in quibus sexus mutari solet, si aliis non duntaxat *Plinio* referenti, Puellas nonnullas factos esse pueros, verum etiam aliis recentioribus Historicis, ut *Iohanni Baptista Fulgoso lib. 1. c. 7. Sabellico lib. 9. c. 8.* fides habenda. Narrant namque hi exempla hominum varia, qui progressu aetatis ex foeminis facti sunt mares, id quod impossibile foret, si sexus uterque ad differentiam specificam hominis pertineret. Gaudet insuper & ipsa Foemina generali hominis definitione, qua definitur quod sit *Animal rationale, seu ratione praeeditum*, hoc enim qui inficitur, minus cerebri quam cimex sanguinis habere videtur.

9. Ast missis ulterioribus ambagum diverticulis ad ipsam Hominis generationem calamum vertimus, priusquam autem haec solide cognoscatur, generalem Generationis definitionem, ejusque brevissimam dilucidationem premittemus. Definitur itaque illa vulgariter, quod sit *mutatio, qua res tota mutatur, & idem sensibile subjectum non manet, ut si ex cibo fit sanguis, ex aqua aer, neutrum manet, quod antea erat, ab Arist. lib. 1. de ort. & interit. c. 4.* Probe vero notandum, quando in hac definitione dicitur totum seu rem totam mutari; illud nequam esse intelligendum de omnibus totius partibus, sed potius de forma substantiali specifica seu perfecta, ut *Mercenarius & Zabarella* sentiunt, siquidem aliis quoque ipsa materia prima mutaretur, quod absurdum. *Arist.* autem per hoc totum nihil aliud intelligere quam ipsum compositum constat ex *lib. 2. Phys. text. 31.* ubi formam illam hoc totum vocat, quoniam rei integritatem constituit.

10. Cum vero haec definitio magnas difficultates, variasque Authorum exceptiones patiatur, eam hoc in loco dimittimus & aliam huic nostro scopo magis convenientem ejus loco substitui- mus, nimirum: Quod sit *actio potentia generatrix, qua corpus animatum perfectum ex genitali semine aliud sui simile procreat, Magirus in Physiol. lib. 6. c. 3. th. 63.*

50.
49.

11. In hac definitione, ipsa actione generativa, tria potissimum nobis examinanda obveniunt, si aliâs hominis generatio cuiusvis perspecta esse debeat. 1. Generans quod gignit. 2. Materia ex qua generans generat. 3. denique genitum ipsum.

12. Ad primum nempe generans, quod est ipse homo duo potissimum requiruntur, si secundum definitionem generationis sibi simile generare debeat, 1. ut sit perfectus, non imperfectus, adeoq; ut ad justam ætatem & incrementum pervenerit. Sic e.g. pueri generare nequeunt, quia perfectionem suam & statum nondum sunt consecuti, idcirco nihil in iis superflui de alimento relinquitur, sed totam nutrimentum in substantiam convertitur. 2. Ne sit mutilatus, aut alio, nescio cujus generis errore affectus seu corruptus: Sicuti Eunuchi & naturâ frigidi, quibus nihil prorsus superest, quod in generationem cedere possit. *Keckerman. in system. phys. cap. 14.*

13. Quemadmodum autem in brutis nulla generatio procedere potest, nisi adsint diversa subjecta; ita & pari ratione in Hominis generatione id ipsum requiritur; sint autem subjecta ista *Mas & Fœmina*, horum altero deficiente, generatio quiescit. Nihil est, quod objicias exempla quorundam animalium absque Mare generantium, quia illa sunt vel singularia, vel prorsus fictitia, ut ita nihil certum ex istis definiri possit, testante *Colleg. Conimb. lib. de gen. & inter. cap. 4. quest. 27. art. 1.* Subjecta autem ista quidem diversa, interim ejusdem speciei sunt necesse est, monstrosa aliâs foret generatio, si diversæ speciei animalia, ut canis cum lupo, aut alio animali; Homo cum animali bruto, congrederentur, unde & illud quod gigneretur diversum quid esset ab utroque; ut id testantur *Muli*, qui ex congressione equi & asinæ generantur. Vid. de his *fusus Scalig. Exercit. 202. sect. 3. 4.*

14. Duplicem autem Physici considerate assolent generationem: *Æquivocam & Univocam*: *Æquivocam* vocant eam, quâ generans & genitum non sunt ejusdem speciei, ut quando ex terra putridâ aliâve putredine generantur vel animalia vel plantæ, ubi ipsi generans nec animal nec planta est: Sic mures generantur in navibus & sentinarum sordibus; Muscæ generantur ex putridâ

ridâ materiâ in rimis & dificiorum collecta: Dicitur verò genera-
tio hæc à quibusdam *spontanea*, quia sic genita spontè nasci dicun-
tur absque propagatione per solam putrefactionem, ut docet *Ma-
girus in Physiolog. lib. 6. c. 3.* Animalia itaque vel plantæ hoc modo ge-
neratæ, steriles & sibi simile ut plurimum non generare dicuntur
ab *Arist. lib. 2. de anim. text. 43. & lib. 2. de gen. anim. cap. 3.* Univocam
dicunt eam, quâ generans & genitum sunt ejusdem speciei, adeo-
que simile generatur ex simili e. g. planta ex planta; Equus ex equo;
Homo ex homine; Et hæc propriè dicitur generatio propagatio-
nis, quia secundum illam unum propagat alterum per seminis de-
cisionem; Et hæc solis duntaxat viventibus inest. *Sperlingius* quidem
hanc divisionem approbare recusat, siquidem in *Instaur. suis Physi.*
lib. 6. c. 2. multa est vana ac irrita contra eam regerit, sed videat, un-
de *Phlegmatica* ac emplastra, quibus hanc suam absurditatem miti-
get, sumat.

15. Materia ex quâ generatur Homo, est *Semen*, quod à ve-
teribus *Philosophis corporis humani principium* dictum fuit, teste *Arist.*
lib. 2. de gen. anim. cap. 1. Definatur autem id, quod sit *corpus humidum,*
spumosum & album, ex reliquis alimenti ultimi & spirituum ubiq; oberran-
tium permissione, vi testium *insitâ elaboratum,* generandi animalis gratiâ,
Aristot. lib. 2. de gen. anim. cap. 2. & lib. 1. de gen. anim. cap. 18. 19 & lib. 2. de
gen. anim. cap. 3. conficitur autem semen hoc, secundum omnes ferè
Physicos ac Medicos ex superfluo & excremento ut nonnulli ap-
pellant, nutrimenti: Quamvis itaque semen respectu alimenti sit
excrementum respectu tamen corporis generandi est causa natu-
ralis & instrumentum simul, sine quo corpus vivens simile produ-
cere non potest, ut rectè sentit *Keckerm. syst. phys. lib. 3. c. 14.* Distin-
guendum propterea esse arbitramur inter excrementum utile &
inutile. Inutile vocatur omne id, quod exprimâ, secundâ, tertiâ
concoctione ita relinquatur, ut nullam viventi præstet utilitatem,
sedei potius noxium sit & adversum. Utile autem dicitur illud,
quod duntaxat ex tertiâ concoctione relinquatur, ut vegetus ali-
quis succus decidatur ex reliquis corporis vivi partibus, inque cer-
to loco colligatur & ibi ad generationem reservetur.

16. Ast *gravis* haudque parvi momenti hic oritur quaestio:

B

Nunt

50.
49.

Num scilicet uterq; parens, Mas & Fœmina, per vim seminalem activè concurrant ad generationem, atq; aded uterq; verum emittat seu generet semen? Notandum totam ambiguitatem versari circa concursum fœminæ: Vir enim quod activè concurrat ad generationem verumque emittat semen, inter omnes constat & nullus, nisi fungum pro cerebro, & peponem pro corde habens, inficias ibit: Quæstio igitur unicè de concursu fœminæ est intelligenda. Nos sub eorum vexillo stipendia merebimus, qui affirmativam quæstionis tuentur: Huc enim non modo plerique Medici, sed omnium ferè Physicorum familiæ navim affixerunt, ita ut non possimus, quin in eorum comitatu reperiri gestiamus. Statuimus itaque cum *Galeno lib. 6. de loc. affect. cap. 5. Coll. Conimb. lib. 1. de gen. & corrupt. cap. 4. quæst. 27. art. 2. Cardano lib. 12. de hom. nat. & aliis*, Fœminas utique concurrere activè ad generationem æque ac Mares, etsi minùs perfectè minùsque efficaciter quàm hi, quod his ostenditur rationibus: Omnes formæ ejusdem speciei consequuntur potentias ejusdem rationis; Mas & Fœmina habent formas ejusdem speciei, seu convenientes in eadem specie, *Arist lib. 10. Met. cap. 12. text. 25. & lib. 2. de gen. anim. c. 2.* Ergo &c. Rursus, Fœmina in sito calore agit in materiam, in quam introducenda est forma fœtus; Calor verò iste est una è dispositionibus, quæ formæ introductionem efficienter attingunt; Sequitur ergò Fœminam per calorem à se productum activè attingere formæ introductionem. Hoc eleganti declaratur simili, nimirum: Cùm Sol dicitur unà cum Homine Hominem generare, fit hoc non ob ullam aliam causam, nisi quod materiam fœtus calore cœlesti imbuat & ad recipiendam formam promoveat: Cur itaque pari ratione Mater, in utero eandem materiam calore suo proprio afficiens, eoque illi fomentum diu præbens, non censeatur activè ad generationem concurrere, ut docet pereleganter *Coll. Conimb. cit. loc.*

17. Contrarium propugnantes falsâ hâc nituntur hypothese, quasi Fœmina nullum planè vel emittat seu generet semen, quam sententiam non pauci tum Medici, tum Philolophi *Aristotelis* assuere non erubuerunt, quasi ex uno tantum semine animal generari senserit. Verùm ipsos Philolophum hâc in re gravissimè sugillare,

Yare, ipsique injuriam inferre vel hinc constat, quod *lib. 1. de gen. anim.* dicat; *Fœminam semen tale non emittere, quale emittitur à Mare: Ubi non negat fœminas semen emittere, sed non excernere tale semen, id est, ita crassum, lentum, calidum ac spiritu plenum, quem admodum Mas. Cum enim Fœmina, Aristotelis opinione, sit mastasus & occifoneus, ut ille loquitur, $\pi\epsilon\pi\eta\epsilon\iota\sigma\mu\delta\upsilon$ & $\delta\epsilon\lambda\lambda\omega$, corpore frigido & imbecillo, haud dubiè ad virum comparata nec crassum & corpulentum, sed tenue, dilutum semen emittit, quale si vir ejacularetur, sterilis judicaretur.*

18. Progredimur ad tertium sc. ipsum genitum: Hoc non est forma, id enim qui statuit in Philosophia se parum probat exercitatum, *Scalig. exercit. 346. neque materia, idem exerc. 101. sect. 15. sed ipsum compositum, Forma sc. quæ animam & Materia quæ corpus constituit simul. Differendum quidem hîc nonnihil fufius esset de corpore ejusque in utero efformatione & constitutione, ut & quo ordine membra in eo figurentur: ast, quoniam id à nostro instituto quodammodo remotum, aliis & Medicis quidem sive potius ipsis Anatomicis remitteremus. Interim verò dubium aliquod scitu summè necessarium hîc nobis examinandum obstat; Quodnam membrum, inter cor & cerebrum teneat principatum? Gravissima hæc fuit controversia inter Aristotelem & Galenum eorumque sectatores: Hi cerebrum nobilissimum ac principale membrum esse, firmiter contenderunt: Illi è contrâ cordi primatum adscripsere. Videntur autem discrepantes hæc sententiæ placari posse, statuendo, utrumque membrum in æquali, licet diverso, honoris ac principatus passu incedere, cordi respectu functionum vitalium, cerebro respectu animalium primatum relinquendo.*

19. Verùm, si nonnihil propriores accedere, subtilioremque mentis contemplationem adhibere liceret, sanè Aristotelis tanquam Philosophorum patroni sententia magis quàm Galeni nobis excolanda foret: Inprimis si cordis dignitatem & excellentiam, quam ipsi tum sacrarum literarum gravitas, tum saniorum Philosophorum autoritas attribuit, accuratius perpendimus, non possumus non fateri cor meritò primatum præ cerebro obtinere. Rationes hanc sententiam approbantes inter alia etiam ipsi adversariis

B 2 nobis

50.
49.

nobis suppeditat. Si enim existis suæ sententiæ probationes peras, respondebunt eas ab exemplis istorum animantium, qui exerto corde non tantum vivunt, sed & vociferantur & currunt, defumendo: Ast quæ consequentia? Annon pari modo argumentari liceret pro corde, cum experientia sat abundè testetur, quod in multis animalibus sapius adhuc motus aliquis conspiciatur cerebro penitus ablato, ut id imprimis videre est in vitulis, qui post decollationem vix in suo loco detineri possunt; Plures rationes addere non necessum arbitramur, interim tamen eas petentibus in iplo conflictu aperire non gravabimur.

20. Ad similitudinem generantis & geniti quod attinet notandum, quod in non viventibus nulla detur generatio. Sunt, qui Ignem eadem ratione sibi simile generantem objicere gaudent: sed respondetur; Non viventia, ut ignem generare sibi simile agendo nempe in aliam materiam extra se: Vivens vero non ita sibi generat simile, ut agat in aliam materiam extra se, sed largitur quodammodo alteri de suâmet materiâ, & aliquid de suâmet formâ cum facultate activa, dum exhibet semen generationi. *Zabarell. de facult. anim. cap. 11.*

21. Constituitur autem imprimis in generatione Hominis triplex similitudinis genus à *Coll. Conimb. lib. 1. de gen. & corrupt. c. 4. quest. 30. art. 1. Vnum in specie: Alterum in sexu: Tertium in effigie.* Prima similitudo est à natura ipsa agentis univoci, quod ita suam determinat actionem, ut singulare ejusdem naturæ specificè producat: Et hæc in quavis generatione sit oportet. Secunda in sexu, non semper requiritur, mox enim masculus, mox etiam fœmina progignitur; singularem autem hujus rei causam, nisi Dei directionem nullus excogitare valet. Similitudo in effigie omnimoda aut rara aut nulla est, potius vero maxima dissimilitudo in hominum vultibus, teste experientiâ, exstat. *Infinita autem hæc ac mirabilis formarum seu facierum varietas, unum est ex his, quæ divini numinis providentiam demonstrant*, ut *D. Nemesius in lib. de anim. facult. cap. 42. ait.* Secus enim neque familiarem ab inimico; uxorem ab alienâ; filium à servo inter noscere quis posset, atque exinde magna vitæ incommoda, aliæque variæ rerum humanarum perturbationes sequerentur.

22. Re-

22. Restat jam in fine primi membri, hujus dissertationis paucis nobilissimam partem Homini*s Animam* sc. examini subijcere, & quidem unde hac originem suam trahat? Quæ quæstio ex difficilimis quæstionibus, quæ unquam à *Physicis* moveri possunt, difficilissima est, adeò ut multi præstantes viri, eam hæc invitâ definiti non posse, putârint: Eluit enim proh dolor! *Serena* protoplastorum nostrorum tanquam *Lætheus* amnis, nobilem differentiarum notitiam, ut jam non nisi humi repamus, lambentes vas vitreum pulvèrè haud attingentes, instar ciconiæ, *Scalig.* exercit. 307. sect. 21. Hinc *Augustinus* & *Lutherus* de hoc dubio quæsitum certum aliquid statuere recusarunt. Nihilominus nonnulli certi aliquid determinantes olim inventi sunt & etiamnum inveniuntur, qui imprimis ad duas classes referri possunt. Prima harum *Animam per creationem*; altera *per generationem* esse propugnant: Siquidem nullus modus præter *creationem* & *generationem* datur, quo substantia posset produci testante *Scheiblero* in lib. de anim. part. 3. disp. 2. Utriusque verò sententiæ defensores haud secum conveniunt; *Creationem* statuentium alii volunt, Animas ab *Angelis* seu *Intelligentiis* creati, ut *Arvicenna* & alii. Quidam Animas non quidem à creaturis, sed ab ipso Deo esse, ita quidem, ut sint quædam ejus particula, contendunt: Quam sententiam *Augustinus* tribuit *Gnosticis* & *Manichæis*. Nonnulli verò defendere cupiunt omnes Animas simul tempore creationis in initio Mundi à Deo esse creatas, & nunc aliam post aliam in corpus suam detrudi aut ablegari: quem errorem amplexi sunt *Plato*, *Origenes*, aliq. Quæ opinionès præterquam quod à pluribus consultæ sint, cum ipsis authoribus jam sepultæ jacent, proindeque nobis eas hoc in loco recensere idem quod refutare sufficit.

23. Denique inveniuntur, qui Animas non quidem ab *Angelis* produci, nec à Deo in initio mundi omnes esse creatas, interime eas ab ipso creati, corporique infundi mordicus defecundunt, quando scilicet materia à generante satis est præparata. Hoc errore correpti sunt plerique *Pontificii* ac *Calvinisti*, imò multi *Nostratium*. Opponimus verò huic errori, à quo meritò non secus ac à scopulo refugimus, illud *Augustini* in epist. 28. & 157. ingenuè confitentis: *Se, neq. legendo, neq. orando, neq. ratiocinando invenire potuisse, quomodo cum*

Animarum creatione peccatum originis defendatur. Rationes per plures hunc errorem dissuadentes, ut & solidissima contrariorum argumentorum resolutio facile produci possent, nisi id jam dudum à *Viris ingenio, eruditione ac authoritate præclarissimis* abundè præstitum esset, ideoque Nos hîc repetere super sedemus.

24. Missâ ergo primæ classis opinione, rectè progredimur ad alteram, quæ pro generatione certat, cujus propugnatores etiam haud inter se consentiunt. Quidam enim Animam per animatum (successionem (ut loqui solent) esse contendunt, id est, primò generari in semine *animam vegetativam*, quam inveniri in embryone adhuc imperfecto & omnibus membris nondum absoluto, tradunt; & *vocant vitam plantæ: mox sensitivam*, hanc à generante produci, unâque cum corpore interire arbitrantur, hanc *vitam animalis dicunt*: Denique *rationalem* corpori infundi opinantur, & eam *vitam hominis appellant*: Quem errorem Authores *Aristoteli lib. 2. de gen. anim. cap. 3. Thomæ Aquin. part. 1. quæst. 118. art. 2. Zanchio & plurimis aliis* attribuunt: Defendere & eam videtur *Sperlingius in institut. phys. lib. 9. cap. 2. quæst. 1.* Sed quanta in eâ lateat absurditas quivis sat perspectum habet, quod quoties anima periret, toties & ipse Homo corrumpatur: Hinc rectè *Scalig. Deletâ primâ fetus morietur: Rursusq; nascetur in secundâ: Quâ destructâ rursus miser peribit tertioq; oritur in postremâ. Exercit. 290. sect. 2.*

25. Probamus verò ipsa *S. Scripturæ* authoritate Animam rationalem in ipso conceptionis puncto statim adesse. *Psalmistæ Psalm. 51. v. 7. inquit: In peccatis calefecit me mater mea. i. e. isto temporis puncto, quo matris calore cœpi foveri, in peccatis fui: Si igitur isto tempore fuit in peccatis, ubi illud peccatum fuit? non in corpore, igitur in animâ; non in vegetativa, cum tunc & plantis peccatum inesset, nec in sensitiva, quia tunc & brutis peccatum competet, quod utrumque maximè absurdum: Ergo in Animâ rationali.* Vid. fusius *Danha Verum in Colleg. physiolog. disp. 6. & alios.* Alii hujus classis propugnare nō verentur animam veluti formam è materia educi: Quæ sententia non minus erronea ac præcedens, quod inde liquet, quoniam quod educibile est, etiam divisibile & materiale est & corporeum; ratio est in promptu: quiaeductio fit partitim,

partitum, & in uno momento tota forma produci nequit: quis autem Animam quid divisibile & corporeum pronuntiare velit?

26. Tertio & ultimo inveniuntur, qui Animam per traductionem produci defendunt. Quæ sententia, cum cæteris probabilior sit, à nobis merito amplectenda. Dum itaque Animam à parentibus propagari dicimus, *generalis Dei actio ac benedictio* semper in eâ præsupponatur summè necessarium. Propagatio autem hæc non est intelligenda, quasi Anima sit ex semine, ut *Timplerus lib. 4. Metaphys. cap. 3. quest. 7.* nobis affingere studet; Neutiquam: Sed quod sit *ex traduce*, i. e. per traductionem ex parentibus in filio, non ex semine primario, dicimus. Non videmus, itaque unde *Sperlingii* sententia excusari possit, scribentis: *Animam actu esse in semine*, præterquam enim quod ens spirituale, tanquam nobilior, in virtute corporis, tanquam ignobilioris, contineri nequeat, Pater toties homicidium committit, quoties sponte, vel fortuito, aut alio quovis modo ejaculatur semen. Neque videtur commodè dici posse, Animam potentiâ in semine, quatenus est semen, latere: dico quatenus, id est, quatenus solum consideratur, & cum fœmineo, seu hoc cum masculino non sit legitimè mixtum, *non mixtum enim non est perfectum semen*, inquit *Galenus lib. 2. de sem. cap. 1.* idem etiam ex hoc, quod ex priori absurdum sequitur; ratio, quia *omnem potentiam insequitur actus*, testantibus *Metaphysicis*: à quo errore igitur nobis haud minus atque ab equo Trojano aut quovis veneno cavebimus.

27. Ingens autem & inexplicabilis ferè difficultas hîc oritur, è qua *summa etiam eruditionis Viri* se extricare non valere, ut quidam *magni nominis Theologus* de seipso fateri non erubescit: *Vtrum scilicet Pater, an verò Mater, seu, num uterq; parens totam animam, an verò dimidiam Pater & Mater dimidiam propaget?* Patri soli hanc propagationem adscribere inconueniens, quia *S. Scriptura* contrariatur: Christus enim dicitur filius hominis, hoc fieri non posset, nisi mater quoque ad animam producendam concurreret, nihil obstantibus nobis *Scriptura dictis, Gen. 3. v. 1. & 46. v. 26.* quia his in locis *Scriptura* non exclusivè loquitur. Pari ratione nec soli Matri hæc virtus attribuenda, dum enim Matri solum animæ productio, corporis elaboratio & gestatio adscribitur, Pater à generatione prorsus se-

50.
49.

sus secluditur, cum tamen ipsi patri primæ partes & Script. & communi omnium voce assignentur. Multò minus approbandum Patrem dimidiam & Matrem dimidiam propagare, quia, posito hoc, ponitur divisibilitas, materialitas & per cõsequens mortalitas animæ, quæ omnia abjectissima & quavis proscriptioe digna esse ex supradictis liquidò constat.

28. Quapropter si quid statuendum explicitè, nihil aliud reliquum videmus, quam quod ab utroque parente anima propagetur: Haud verò ex hoc colligitur, animas hâc ratione in genito duplicari, & sicuti Pater & Mater numero differunt, ita & animas in genito differre: Nequaquam; quia *animæ generantium in conceptione non debent considerari ut divisim, seorsim ac separatim existentes, sed ut unitæ & sibi invicem adglutinatæ*: quæ adglutinatio non tanè humana, quippe humanum captum longè excedit, sed maximè divina; siquidem Scriptura testatur *Marem & Fœminam unam esse carnem, Gen. 2. v. 24.* Animæ igitur parentum in ipso actu, ex singulari Dei ordinatione ita conjunguntur, ut uterque in ista carnis copulâ conjunctim unam in femine animam producat, & ita ista animarum differentia locum habere nequit.

29. Pereleganter Clariss. Dn. D. Steuberus, p. m. in *disput. suis Physicis*, ut etiam in *Theologicâ*, de controversiis inter Orthodoxos & Calvinianos, ultimâ & 16. th. 42. & seqq. modum hunc propagationis animæ illustrat, cujus ipsissima verba subiungere placet: *Anima parentum, inquit, in generatione habent se effectivè, efficiendo de novo distinctam à sua animam, eamq; fœtui communicando.* Et hæc anima non ab uno sed ab utroq; parente communicatur, ita tamen ut tempore conceptionis anima patris animam matris actuet & quasi fœcundet. Quæ anima postea ex sui ipsius potentia ita proritata & in actum deducta, novam animam educit, eamq; fœtui sufficienter organizato communicat. Pater itaq;, scribit porro, se habet activè, dum potentiam animæ maternæ multiplicativam in actum deducit: Mater autem se habet duobus modis passivè: 1. dum ejus potentia actuatur. 2. dum tempore sufficientis organizationis anima nova educationem patitur: & uno modo activè, dum novam istam animam ex sua potentia educit: Hæc ille. Et tantum quoque de hâc controversiâ nimis intricatâ scribere placuit: Interim autem cuilibet suam de hâc re opinionem largimur,

mur, ne nimis curiosè inquirere. & ita Divi Augustini effatum in
epist. 157. ad Optatum, scribentis: Si anima originateat, tùm tamen redem-
tio clareat, periculum non est, &c. transilire videamur.

30. Sufficiant nobis igitur de generali Hominis, ejusque
nobilissima parte, Anima sc. propagatione dicta. Restat itaque ut
quam brevissimè ejusdem in Morte corruptionem nonnihil deli-
neemus. Priusquam verò ipsam Mortem accedamus, nonnulla de
ejus opposito, ipsâ nempe vitâ, in qua corruptio hæc sive Mors
consistit, sunt præmittenda. Quoniam autem *equivocatio* semper
est errorum genitrix, ambiguitas vocabuli *Vita* notanda: Sumitur au-
tem id variè: 1. non ut ens, sed ut modus entis: ad quam acceptio-
nem respexit Aristoteles eam in lib. de respir. definiens: *Quod sit μὴν ἢ*
ἰσχυρὸς ἰσχυρῶν οὐ τῷ ἰσχυρῷ, permansio anima vegetativa cum calore.
Permansio autem seu continuata entis duratio est modus entis
permanentis internus. Modi autem entium interni dicuntur, quæ-
cumque ita sunt cum ente unita, ut nec quoquo modo ab ente vel
positivè separari, vel separata conservari possint, nec aliquam à re,
cujus modi sunt, distinctam essentiam inferunt: Unde si modi hi
addantur enti alicui, vel ab eo removeantur, non variant rationem
ejus formalem. Vita itaque sic considerata nihil est aliud, quam
anima vegetatrix permanens corpori unita illudque informans.
Modi enim entium non possunt nec debent concipi, nisi cum illo
ente, cujus sunt modi, quia de se nullam rationem formalem di-
cunt, Scotus in 1. d. 8. q.

31. Secundò Vita accipitur ut ens, idque dupliciter: vel
pro vitâ substantiali seu radicali, vel pro vita accidentali. Vita sub-
stantialis est ipsa anima vegetativa in ordine ad operationes vita-
les, sicuti quidditas cujusque rei, absolutè & fundamentaliter
considerata, vocatur essentia, in ordine verò ad operationes vo-
catur natura ob respectum supervenientem transcendentalem.
Vita accidentalis consideratur vel in prædicamento *qualitatis*, & sic
est aggregatum supponens pro triplici potentia animæ vegetatri-
ce, & definitur, *quod sit facultas vitaliter operandi, à Schrödero in problem.*
Theolog. de commun. prop. 1b. 195. Vel in prædicamento *actionis*, & tum
dupliciter accipitur, 1. generaliter, pro operationibus trium anima-

C
rum:

rum: vel *specialiter*, pro operationibus tantum animæ vegetantis, aut existentia animæ in corpore: & hæc propriè dicitur vita corporalis, cui opponitur Mors. Aliàs vocabulum hoc sumi solet à Theologis imprimis, 1. pro vitâ *natura*. 2. pro vitâ *peccari*. 3. pro vitâ *gratia*. 4. pro vitâ *eternâ*. Accipitur aliquando etiam abusive ac *Metaphoricè* pro *divitiis* *εὐεργητικῆν* quavis, quemadmodum *aquam* & *argentum* vivum dicere solemus: ut & *horologia* aliaque mirificè exstructa.

31. Non approbamus veto sententiam *Goclenii* in *quest. Phys.* 68. *Advers. ad exot. i. Cas. Scalig. exercit. 31. & 102. sect. 5. & aliorum* asserentium *duplicem* imò *triplicem* in Homine esse vitam, qui fortè præsupponunt falsam hanc *hypothesein*, quasi tres distinctæ in Homine sint animæ: Si enim ex illis probationem quæras, respondent: *Annòn, cum Homo moritur, vita corporis interit, vita anima manet*: Si pergas; *Quæ & unde sit hæc vita corporis?* Nihil aliud reliquum video quod respondeant, quam quod vita hæc competat animæ vegetativæ ac sensitivæ, quæ, ut illi loquuntur, sicuti à parentibus unâ cum corpore producuntur, ita etiam unâ cum ipso, salvâ manente alterâ vitâ scilicet animæ rationalis, intereunt. Sed vana ac irrita hæc sunt, in confesso enim est, unam tantum in homine esse animam, à suo primario, hominesque à brutis distinguente actu, *rationalem* dictam. Hæc omnes operationes ac potentias in corpore efficit, adeoque ut sit formaliter vegetativa, formaliter quoque sensitiva. Facit quoque nobiscum *Aristoteles*, animam generaliter definiens, *quod sit principium, quo vivimus, sentimus, movemur & intelligimus*, quo ipso sat apertè asserit actus illos secundos, vegetationem scilicet & sensationem, motum &c. ab ipsâ provenire animâ, opus enim non est sine ulla necessitate, contraque naturæ, quæ ab omnî superfluo abhorret, consuetudinem, entia multiplicare. Nec vivere itaque, nec vigere hæc prædictorum opinatio potest.

33. Consistit autem vita seu potentia vitalis in calore vitali & humido radicali, quia quamdiu homo vivit, calidus esse deprehenditur, mortuus verò frigidus, & hoc calore vigente, floret: eodem languente, languet ac contabescit & ipse Homo, cum enim in animali calor iste extinguatur, nil nisi inanis truncus remanet.

Calor

Calor autem in vitâ se habet activè tanquam proximum animæ instrumentum, & est principium formale operationū vitalium: Humidum verò se habet passivè, tanquam pabulum caloris, quo ipse alitur, tanquam flamma oleo: Calor etiam tamdiu durat, quamdiu durat humidum: Cessante enim nutrimento, amplius durare nequit exinde nutriendum.

34. De calore notandum, quod ille duplex sit in vivente, *velementaris*, qui cuivis mixto ex igne elementari inest: vel *vitalis*, qui viventibus ab animâ vegetativâ inest, eamque insequitur, de quo loquitur *Aristoteles in lib. de vit. & mort. & lib. 2. de ort. anim. cap. 3.* hicque est in nutriendo, ut dicit *Scalig. lib. 1. de plant. p. 110.* Uterque autem calor necessarius est viventibus ad operationes suas edendas: *Elementaris* quidem, tanquam instrumentum commune omnibus mixtis: *Vitalis* verò calor, tanquam instrumentum proprium. Liqueat ex his itaque vitam non consistere in calore elementari, aut reliquis qualitatibus elementaribus, sed in qualitate aliqua superiore, quæ pro instrumento subordinato utitur calore elementari, quæque qualitas à *Physicis*, docendi gratiâ, vocatur calor vitalis. Pari ratione & humidum in homine duplex est, idque vel *elementare*, ab elemento humido mixto in existens: vel *vitale*, viventi ab anima appropriatum. *Vitale* rursus duplex constituitur: vel *radicale*, quod statim à progenitoribus inest: vel *nutrimentale*, quod à fluxu extrinsecæ humiditatis inducitur. Vide de his fusius *Keckerman. system. phys. lib. 3. cap. 10. & alios.*

35. His itaque prælibatis jam ad naturam ipsius mortis calamum vertimus. Dolendum equidem vitæ mutabilitatem perpetuò agere hoc, ut veniatur ad mortem, adeoque ut *vita hæc nihil aliud sit, quam cursus ad mortem*, ut ait *Div. August. lib. 13. de civit. Dei ad Marcell. cap. 10. Moritur, proh dolor! doctus cum indocto, Rex cum servo; Divites cum paupere, & quid mors sit, mentis quis vix assequitur acie.* Sumitur autem vox *Mortis* ab authoribus dupliciter, 1. dicitur homo mori seu mortuus, cum anima adhuc in vitâ constitutâ corporeas illecebras contemnit, dulcesque insidias cupiditatum & alias passiones exuit, *Macrob. lib. 1. in somn. Scip. cap. 13.* Quod etiam referti commodè possunt & *Scriptura dicta Homines viventes mortuos perhibentia,*

C 2

e.g. ubi

50.

49.

e. g. ubi Dominus ad protoplastos nostros dicebat; *quo die vescemini de arbore vetitâ, morte moriemini*: Hinc etiam Adam statim post lapsum mortuus dicitur, etiamsi anima eius cum corpore nongentos triginta annos manserit unita, *Gen. 2. v. 17.* vid. quoque *Matth. 8. v. 22. 1. Timoth. 5. v. 6.* Secundò Homo moritur, cum anima corpus relinquit, solum lege naturæ; & hæc acceptio huius est loci.

36. At rem ipsam, & quidem sine Tullianis & Platonis pigmentis, quæ ambiciosorum opera & otiosorum cibi sunt test. Scalig. exercit. 307. sect. 2. aggredimur, ut id, quod res est, agamus: Et operatum cursum quo teneat rates nostra, definitionem ceu cynosuram accurate observandam ducimus; *πᾶσι δὲ Ἰνδῶνα δὲ δεσπότης πύροντες*, inquit oculatissimus Philosophus Aristoteles lib. 2. post. anal. cap. 17. & definitio caput & fons est eiususvis disceptationis, juxta Quintilianum: Quod ergo ut commodius fiat, obstaculum aliquod nobis hîc removendum, ut nostram melius intelligamus, ne in errorum lernam incidamus, neq. in micros labyrinthos nos precipitemus, *Keckerm. syst. log. s. 2. cap. 1.* Hoc itaque nobis præbet Iacobus de Clusâ in lib. de apparit. ca. de aggress. anim. Mortem falsò ac spurie definiens, quod sit dolor ossifusa anima à corpore separatio: Quam definitionem suo definito non esse adequatam constat exinde, quod non omnis Mors sit cum dolore, succo enim cicutaë membris gravis stupor induci potest, quo stupore & immodicâ frigiditate spiritus ipsi absque ullo aliquo dolore extinguuntur: Tum, quia Mors in instanti accidere solet, in eâ ullus dolor percipi non potest. Causas autem spiritus illos dissolventes, ut sunt febris, vulnera aliq. morbi, quippe quæ summum excitant dolorem, non est quod objicias, quia id non fit in morte, sed ante ipsam, *Cardan. de subtilit. lib. 8. de plant. p. 422. 423.*

37. Rectius itaque definitur, quod sit vitæ privatio: *Disjunctio anime à corpore, vel dissolutio viventis*, à Scaligero exercit. 307. sect. 33. Vel, quod sit absentia discessive anime à corpore, ob defectum innati caloris, ex *Arist. à Colleg. Conimb. in lib. de vit. & mort. cap. 3.* Sed hæc definitiones, ut eò melius intelligantur, quædam difficilia intellectu velut catena Homericæ in se complectentia ordine ex iis considerabimus. Primò, quando Mors dicitur privatio, notandû illos summopere falli, qui eam finè propriè loquendo vocitent, constat enim privationem malum quid

lum quid esse, Finem verò omnem bonum ac perfectum, Scalig. exerc. 250. sect. 1. hinc videtur Cicero libros suos de finibus bonorum & malorum, non rectè inscripsisse, ut not. Auth. cit. loc. dict. interim verò, quod finis triplex sit Latini notare solent: alius *causalis*, qui est Deus tanquam finis rerum omnium; alius *terminationis*, ut fines regni, agri &c. alius *privationis*, quemadmodum mors finit vitam. Græcos feliciores Latini esse vel hinc patet, quia ipsis in promptu sunt diversa vocabula, quibus omnem finem exprimere possunt; distinguunt enim inter *τὸ τέλος* seu *ἑξ ἄπυ*, & *τελευτῆ*: omnis itaque perfectio ab ipsis *τελευτῆ* à *τελευτῆ* perficere, dicitur: *ἑξ ἄπυ* autem vocant quodvis extremum, ita & mortem, Idem exercit. 254. & 2. de plant. p. 317.

38. Secundò, quando Mors dicitur à Scaligero *separatio* sive *disjunctio*; illud non esse intelligendum, quasi oporteat omnes animas realiter à corpore secundum situm abjungi: lat enim est, si definiant in corpore esse informativè. Animæ enim brutorum cum corporibus extinguuntur: Anima verò humana, quando separatur, tum secundum situm à corpore abjungitur, quod antea actuat, Colleg. Conimb. in lib. de vit. & mort. cap. 3. Tertio denique Mors rectè dicitur *cessatio omnium anima functionum*, ad differèntiam somni, in quo aliquæ duntaxat cessant & feriuntur functiones, sed non omnes: *Pulsus enim & respiratio* non cessant in eo, utpote quæ præter cæteras functiones ad vitam admodum sunt necessariæ; *cessantibus enim his, cessat & ipsa vita.*

39. Tantùm de genere mortis: sequuntur *causa* ejusdem, quæ sunt vel propinquæ vel remotæ: propinquam causam tradit definitio mortis à Colleg. Conimb. data, *defectus nempe innati caloris*: quia *contrariorum contrarie sunt causa*, ut docet Aristot. lib. 5. polit. cap. 8. quemadmodum vitæ causa est calor (cum humore, quo, tanquam pabulo pascitur) ita mortis causa est frigus, seu innati caloris defectus. Unde à Galeo lib. 2. de temp. cap. 2. Mors definitur, *quod sit extinctio caloris naturalis*. Cum itaque excedens frigus & siccitas, imò & superabundans humiditas, quæ calorem suffocat, & nimis vis caloris extranei humidum non solum absumat, sed & ipsum etiam calorem innatum resolutâ substantiâ dissipet, mors provenit ac oritur. Remota causa mortis est partim *deficientia respirationis*, ut in

his, qui strangulantur aut suffocantur: partim magna abundantia
humidi, quod extinguit calorem innatum, non secus ac magna copia olei affusa
parve flammæ eam extinguit, *Ægidius Roman. in lib. de vit. & mort.*

40. Negare autem non possumus, affatus corporum cœlestium causam
aliquam, etsi remotissimam interitus & corruptionis ipsius Hominis esse posse.
Demittunt enim nonnunquam cœlestia corpora præter ordinarium afflatum in
mundum huic inferiore qualitates suas, ægritudinem & interitus effectrices,
secundum varios adspetus, & regionum naturam, idque interdum tantâ vi, ut
existant in totâ aliquâ regione populares morbi: Quod imprimis in magnis
planetarum conjunctionibus evenire tradunt *Ptolomeus Alcabitus*, aliisque *A-*
strologi innumeri. Experientia, ut rerum magistra, insuper sat abundè testatur,
in *luna* coitu morbos ægotantium recrudescere, & corpora deterius affici: per
id quoque tempus purgationes nocere, & dum *pestilentia* grassatur, ordinariè
tunc plures extingui. Vide sis *Aristotelem, Magirum, Keckermann.* & alios.

41. Mortis genera quod attinet, possunt illa, si eventus fortuiti specten-
tur, innumerabilia existere, si verò hi eventus vel causæ mortis nonnihil artius
contrahantur, definito continebuntur numero. Dividitur autem mors vulgari-
ter ab *Aristot.* in *lib. de vit. & mort.* aliisque *Physicis* ferè omnibus, in naturalem
& violentam: Hæc est, *quæ fit à contrario, & senibus & juvenibus, cum à vi-
mortalibus communis est:* Referunt autem *authores* illius duas species. Prio-
rem *μαρτυρι* violentam vocant, ad differentiam naturalis, quæ naturâ & tempo-
ris longinquitate, peracto jam ferè vitæ curriculo, nullis causis externis violentè
calorem consumentibus, fit. Violenta autem dicitur, quia calor ante ju-
stum tempus corrumpitur, & vel per seipsum, vel ab alio. A seipso, & veluti
proprio gladio calor jugulatur tribus potissimum modis. Primò ratione aëris,
vel aquæ; idque accidit, vel ob defectum aëris frigidi, sive omnino deficit,
quando nempe respiratio intercepta, ut in *apoplexiâ* contingit, tum etiam in his,
qui laqueo strangulantur. Vel cum aër, qui inspiratur, calidus est, ut contingit in
balneo, ubi aër quidem non deficit, sed frigidus aër. Ob eandem quoque causam
homines æstivo tempore multùm diuque laborantes moriuntur. Quemadmo-
dum *messoribus* aliisque infirmæ constitutionis hominibus non rarò accidit. Si-
milis quoque ratio est aquæ, sicuti enim pedestria animalia aëris, sic aquatilia
aquæ defectu vel vitio pereunt. Secundò corrumpitur calor ratione sanguinis &
alimenti, cum videlicet vel pabulum calori subtrahitur, ut contingit in maximo
pto fluxu sanguinis ex naribus, *hemorrhoidibus*. Vel cum tollitur debita inter ca-
lorem & alimentum proportio; idq; contingit vel à parte alimenti, quod *σούμυς-
τος* est vel qualitate, ut cum sanguis præter modum crassus est, aquosus, lentus
aut aliàs vitiosus, ut in *hydropicis*: vel quantitate, cum nimia alimenti copia inge-
sta obruitur calor, ut in his, qui sese nimium ingurgitant, quorum nonnullos
subitò extinctos experientia testatur. Aut proportio illa tollitur à parte caloris,
quando avellitur à corde, ut in repentino & insolenti gaudio, quo nonnullos mo-
tus concidisse legitur. Tertiò, ratione cordis tanquam foci calorem quoq; cor-
rumpi contingit. Labefactato enim motu ejus, calor quoq; languescit & ad extre-
mum deficit.

42. Alteram speciem mortis violentæ dicunt *pestis*, quæ fit à contrariis frigore aëris vel aquæ, si ad cor vel viscera penetret, & eorum calorem humidumque opprimat, perinde ac si ignis frigidâ aquâ exstinguitur. Sic illi qui æstivo tempore in magno æstu iter faciunt, liberaliore aquæ frigidæ, vel alterius potionis frigidissimæ haustu facillè extinguntur. Pari modo, qui per nives iter faciunt, inq; iis diutius detenti dormiunt, à frigore congelantur & vitâ excedunt. Naturalis vocatur illa, quæ fit per ultimam humidi resolutionem à calore naturali, qui absumto à se humido tandem extinguitur. Et hæc morte moriuntur senes, in quibus paulatim decrescunt vires naturæ. Vid. Keckerm. *syft. phys. lib. 3. cap. 10.*

43. Obijci hîc aliàs solet: *Qui Mors dicatur naturalis, cum sit corruptio divitiis?* corruptio autem nihil aliud est quam privatio, quippe quæ formæ contraria: Hinc itaq; Naturalis dici nequit, quia natura semper agit, quod melius est, Aristot. lib. 2. de celo, cap. 5. text. 34. & omne naturale est amicum naturæ, morte autem terribilius nihil, teste Philos. quamobrem potius contra naturam hæc mors vocatur. Alit notandum, naturale non uno, sed pluribus modis dici, quos modos vide apud Scheiblerum in lib. de anim. part. 1. disp. 9. th. 20. Hic itaq; pro eo sumitur, quod necessariò naturam rei consequitur, inq; ea existentia suæ principium habet, cui opponitur violentum. Hæc igitur Mors, quoniam ex causis, quæ in ipsâ corporis animati substantiâ sunt, supervenit, naturalis appellatur. Rem illustrabimus simili: Ignis noster sicuti usu non atteritur, sed tantum idonei fomitis defectû: quo pabulo sensim deficiente, & ipse deficit, penitusq; consumto, & ipse penitus consumitur: Sic eadem ratione in vitâ calidum innatum humido nativo tanquam pabulo fruitur. In quod eum continuè agat, & de eo aliquid dissipet & consumat, illudq; processu temporis decreseat & paulatim deficiat, tractu ætatis senescit Homo: postquam autem omne humidum devoravit, aboletur etiam ipse calor, cui abolitioni confestim mors succedit naturalis.

44. Secundo loco non immeritò hîc quaeritur: *Num Hominis ante lapsum, in statu sua integritatis & innocentia moriendum fuisset, si non peccasset?* Cujus quaestionis Nos cum sanioribus Philosophis & orthodoxis Theologis negativam defendimus, statuentes: Hominem utiq; ante lapsum immortalem fuisse, nec morti obnoxium. Quod probatur præter alias rationes etiam per expressa S. Scripturæ dicta, ut Gen. 1. v. 26, 27. Coloss. 3. v. 10. Eph. 4. v. 24. in quibus ut & innumeris aliis Hominem justum ac sanctum conditum esse perhibetur, quamobrem non potuit mortalis esse, siquidem peccati stipendium mors est. Rom. 6. v. 23. Interim verò non iustificamur Hominem ante lapsum dici potuisse mortalem vel corruptibilem, etsi non potentiâ naturali, tamen potentiâ obedientiali, quâ omnis res creata, apta est obedire actioni divinæ, ut de eâ fiat, quod Deus vult. Sic verb. grat. Sol habet potentiam ut in meridie consistat, 1o Jo. v. 13. Ferrum, ut aquis innatet, 4. Reg. 6. v. 6. Quæ potentia aliàs dici solet Logica seu non repugnantia, Ægid. Rom. in comm. in 9. Metaph. cap. 1. Et hæc obiter attigisse sufficiat. Filium nunc dissertationis abrumpo: Quod si præterea super sint, quæ horum instar tractari queant aliis remittam, nemo enim unquam unus simul omnia comprehendit, sed is solus qui est omnia, cui gratias ago immortales. *Ipsi sit laus & gloria in sempiterna secula.*

50.

49.

COROLLARIA.

1. Logica apud omnes est eadem.
2. Vna & eadem res potest esse causa per se & per accidens.
3. Deus est infinitus qua ratione potentia, qua presentia.
4. Ens habet affectiones positivas & reales.
5. Materiam primam dari probabile est.
6. Natura nihil quicquam facit frustra.
7. Summum bonum non consistit in virtutis habitu, potius verò in voluptate.
8. Nimia ebrietas corpori magis nocet quam voracitas.
9. Caelibatus conjugio preferri nequit.
10. Usura de omni jure non est simpliciter prohibita.
11. Fides semel data firmiter servanda.
12. Iudex non secundum acta & probata, sed secundum conscientiam judicare
tensur.
13. Perfectus Theologus absq; cognitione tam Græca quam Hebraica lingua dici
quis nequit.
14. Insulas hinc & inde fluctuantes inveniri, credibile est.
15. Mons Athos, Macedoniz, etsi ad 86. mill. umbram projiciat, inde tamen non
sequitur eum ad unum mill. elatum esse.
16. In Sole nunquam ut in Luna contingunt eclipses.
17. Vnitatem numerum esse propriè dictum, non est quod dubitamus.
18. Visio fieri nequit, cum visibile non est in aliquo visui oppositum.

TORVAM dum monstrat faciem, furialiaq; arma
induit hinc illic Mars; & Bellona flagellum
dira quatit; vastq; implentur classica flatu;
sevis cuncta ruunt pugnæ, media, infima, summa.

Nos cum pace juret concordæ jungere Musas;
Nos (inquam) una juvet sine cæde & sanguine pugna;
Pugna Humanorum, quales dat Musa, Virorum.

Hic si Victor eris, parmâ Virtutis & Artis:
Tum Tua victrici cingentur tempora lauro;
Quinetiam digitis aptabilis annulus auri
nectenturq; Comis auro fulgentia ferta;
Semper Honos, Nomenque Tuum, Laudesq; manebunt.

*Præstantissimo Dn. Candidato Respondenti Affini sincerè
dilectò applaudebat.*

Balthasar Mentzerus, SS. Th. D. &
Moral. Prof. ordin.

F I N I S.

